


02 J 121





THESES THEOLOGICÆ:
DE PASSIONE, CRUCIFIXIONE, MORTE ET
Sepultura Filii Dei, Domini nostri Jesu Christi:

De quibus
Favente Spiritus Sancti gratia;

PRÆSIDE

M. JOHANNES
SCHOLLIO, S. HEBRAEAE LIN-
GUÆ IN ACADEMIA MARPUR-
gensi Professore Ordinario, in publica dispu-
tatione respondebit

M. CASPARUS FINCKIUS, GISSENSIS.

In Auditorio Theologico XXI. die Maji.

Gal. 6. v. 13.

*Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem
mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*



MARPURGI CATTORUM,
Excudebat Paulus Egenolphus, Typog. Acad.

c 13 13 CII.

Annus Hi 8

*Reverendo, Pientie & eruditione P. J. J. J.
Viro, Dr. M. Erhardo Meisingero,
Pastori Ecclesie Gelnhausen Urai*



REVERENDO ET CLARISSIMO
viro, Dn. BALTHASARI MENTZERO, SS.
Theol. Doctori, hujusdemq; Professore or-
dinario, rei item stipendiariæ Ephoro fi-
delissimo, fautori, promotori, benefactori
& præceptori suo jugiter colendo,

*disputationem hanc gratiarum actionis
ergò inscribit*

RESPONDENS.



[Faint, illegible handwritten text at the bottom of the page.]



DE PASSIONE, CRUCIFIXIONE,
Morte, & Sepultura Filii Dei, Domini no-
stri Jesu Christi.

THESIS PRIMA.



*Q*uod ad salutem nostram necessaria sit ardens meditatio passionis & mortis Domini nostri Jesu Christi, cum ex aliis argumentis clarum est, tum ex eo quoque, quod ipse redemptor, pridie quam pateretur, in illius memoriam peculiare Sacramentum in xaeisias instituit.

2. Porro quod praecipue hoc sine Caena Domini instituta sit, ut grata mente celebremus beneficia summi nostri Pontificis, quae largissimis imbribus in nos effudit, quando corpus suum pro nobis in mortem tradidit, & pro peccatis nostris sanguinem suum profudit, id docent haec institutionis Sacramentalis verba: Hoc facite in mei commemoratione: quae Apostolus Paulus hunc in modum interpretatur: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat, 1. Corin. II. v. 26.

3. Quare breviter de Passione, Crucifixione, Morte & Sepultura Filii Dei (quatuor enim isti articuli inter se connexi sunt, & profundam humiliationem Christi describunt) e Prophetarum oraculis & Apostolorum concionibus differemus.

4. Nomen passionis primo generatim significat totam humiliationem Christi, & complectitur omnes misérias & dolores quos inde à primo nativitatis puncto nostri causa pertulit: propter quos à Propheta vir dolorum appellatur, Esa. 53. v. 3. Deinde principaliter denotat tri-duum illud extremum vitae, in quo acerbissimos cruciatus in anima & corpore perpeffus est.

5. Hos cruciatus expertus est Christus non fortuito, sed juxta decretum quod de salute humani generis in arcano consilio Deitatis ante tempora secularia factum est, mirando misericordia & justitia temperamento.

6. Hinc ipse de se dicit: Filius hominis vadit (nempe ad agonem passionis & mortis) secundum quod definitum est, Luc. 22. v. 22. Et Act. 4. v. 48. dicunt Apostoli: Convenerunt Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.

7. Neque tamen fatali necessitate impulsus sunt Judæi, ut tam horribilem crudelitatem contra Messiam exercerent: Deo enim non placet impietas & crudelitas adversus innocentem, Psal. 5. v. 5. sed ardentes odio Christi libera voluntate eum persecuti sunt, cum potuissent secus egisse.

8. Ubi ineptissimum est quod Judæi nobis regerunt: Si Majores nostri Christum non rapuissent ad passionem subeundam, non processisset illa passio: Deus enim, cujus sapientia non est numerus, facile invenire potuisset modum loco hominum suum filium in mortem tradendi, etiamsi Judæi illum ad mortem non rapuissent.

9. Ineptiores etiam sunt quando sic cavillantur: Voluntas majorum nostrorum congruit cum voluntate Dei: Jehovah enim sic voluit illum contere, Esa. 53. v. 10. E. non fuit mala. Potest enim, ut alia interim taceamus, homo nonnunquam id velle quod Deus vult, & tamen peccati vinculo se obstringere: exempli gratia: Ingratus filius vult parentem suum non esse longævum, ut mature in possessionem paternorum bonorum venire posset, quod utiq; sine peccato velle non potest. Eundem patrem Deus quoq; non vult esse longævum, quia est impius, & scelerate vivit, quæ Dei voluntas justissima est.

10. Porro non solum Decretum Dei ostendit quod non temere Christus passus sit, sed etiam varia Mosis, Prophetarum & Psalmorum *Scriptura*. O stulti & tardi corde (ait Dominus in via Emmausi) ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!

Non-

Nōne hæc oportuit pati Christum, & ita in gloriam suam intrare, Luc. 24. v. 25. & 26. Item: Deus qui prænunciavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic implevit, Act. 3. v. 18.

11. Moses in Protevangelio suo docet quod serpens antiquus dentem suum fixurus sit in semine mulieris, & calcaneum ejusdem morsurus; id quod sine dolore & cruciatu fieri nequit, Gen. 3. v. 15.

12. Esaias tam perspicuè vaticinatur de Messie passione per totum 53. capit. ut, Hieronymo teste, penè Prophetæ personam deposuisse, & Evangelistæ suscepisse videatur.

13. Psaltes non tantum passurum esse testatur Filium Dei, sed accuratè etiam passionem eam quæ post mille plus minus annos contigit, secundum suas circumstantias definit, Psal. 22. & alibi.

14. Quàm exactè verò vaticiniis hisce eventus responderit, testantur quatuor Evangelistæ in extrema sua historia.

15. Fixus firmus igitur manet Articulus Symboli: Credo in Jesum Christum Filium Dei, passum.

16. Porro crucifixus etiam est Redemptor noster, & in ligno tanquam maledictum pependit, secundum vaticinium Davidis, quod Psal. 22. his verbis expressum est: Foderunt manus meas & pedes meos, numerare possem omnia ossa mea, v. 18.

17. Hoc supplicii genus præfiguravit serpens aeneus in deserto pro signo suspensus, Num. 21. v. 8. Sic enim ipse Dominus interpretatur illum typum, Job. 3. v. 15.

18. Vertiginis spiritu hîc aguntur Judæi, impudenter negantes Christum crucifixum esse, quem tamen blasphemè Talui, id est, crucifixum appellant.

19. Non autem cruci affixus est redemptor noster mortis expers interim manens, sed mortuus est in cruce.

20. Neq; id factum est temerè, sed definito Dei consilio: A Deo namq; decretum est ut filius moreretur & victima fieret, atq; ita offensa divinæ justitiæ satisfaceret.

21. Stipendium peccati mors est, Rom. 6. v. 23. Christus autem se vadem & sponsorem pro nobis inter patrem suum & peccata nostra interposuit: Quinetiam pœnas peccatis nostris debitas in se recepit. Hinc necesse fuit ut ad mortem usque se demitteret.

22. Hunc actum extremae humiliationis filii Dei Prophetæ ante multa secula prædixerunt. Omnes Prophetæ à Samuele, & deinceps annuntiaverunt dies istos, Act. 3. v. 24.

23. Daniel etiam diem mortis expressit: Post hebdomadas (inquiens) 62. occidetur dux Messias, Dan. 9. v. 26.

24. Denique divina providentia sepultus est Messias, ut testatum faceret se verè mortuum esse, nec inani mortis spectro hominum oculos delusisse.

25. Neque hæc sepultura, quæ est extremus actus humiliationis filii Dei, testimonio Prophetarum destituta est, sicut patet ex Psal. 16. v. 10. Nō relinques animam meam in sepulchro, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

26. Esaias Christum non aliter sepultum iri testatur, quàm impii solent sepeliri, qui peccatis suis mortem merentur, Esa. 53. v. 12.

27. Hæc omnia quæ de Passione, Crucifixione, Morte & Sepultura Messie diximus, è Prophetarum oraculis, è Psalmorum cantibus, ex Apostolorum testificationibus tam clara sunt, ut Solis radio scripta videri possint. Detestanda est igitur cæcitas Judæorum, qui negant Messiam pati, crucifigi & mori debuisse, quiq; etiam quotidie blasphemant passionem illam quæ nos liberavit à passione, & cruciatu inferni; crucifixionem, quæ à maledictione nos redimit; mortem, quæ vitam attulit; & sepulturam, quæ perpetuum quietis & æterni gaudii Sabbathum nobis impetravit.

28. Ubi, priusquàm ad alia veniamus, prætereundum forte non fuerit, pervicaces homines vi veritatis adactos duos confinxisse Christos, quorum alterum filium Joseph vocant, alterum filium David. Priori assignant ea quæ ad statum humiliationis pertinentia secundum vaticinia Prophetarum Messie necessario tribuenda sunt: Posteriori ea, quæ

qua cum gloria & maiestate conjuncti, ad eundem referuntur. Qua de re legi potest Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis, l. 4. c. 2.

29. *Contrà: Sicut unus est Deus, ita scriptura unum tantum dicit esse Messiam sive Mediatorem: Hic ut exaltatus est super omne nomen, sic etiam humiliavit & exinanivit se infra omne nomen, passionem & mortem probrosissimam in cruce perferendo, Phil. 2. v. 8.*

30. *Hanc autem passionem sustinuit, ὅτι κατὰ δόξαν, ἀλλὰ κατὰ ἀλήθειαν. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, Esa. 53. v. 4. Hinc vir dolorum convenienter appellatur ibidem.*

31. *Verè etiam crucifixus est, & incendium iræ divinæ in cruce sustinuit, vivus inter cælum & terrā in acerbissimo cruciatu ultra duas horas pendens: non apparenter quoque sed verè mortuus est soluta unione naturali corporis atque animæ.*

32. *Interim unionis personalis vinculum nequaquam vel in morte vel post illam solutum est. Quod enim assumpsit nunquam deposuit.*

33. *Verè deniq; sepultus est & in corde terra fuit diebus tribus & totidem noctibus, sicut Propheta Jonas tribus diebus & totidem noctibus fuit in ventre balenæ, Jone 2. v. 1.*

34. *Execranda igitur est blasphemia Marcionitarum, qui asseruerunt Christum non verè sed imaginariè passionem & mortem sustinuisse.*

35. *Cui furori Irenæus opponit hoc immotum fundamentum: Si in Phantasmate accidit quicquid Christus fecit, & passus est in opere redemptionis, consequens est nos κατὰ φαντασίαν etiam redemptos esse, atque ita pro vita æterna spectrum inane vitæ nobis objicitur.*

36. *Rectè igitur Augustana Confessio artic. 3. dicit: Christus verè passus crucifixus, mortuus & sepultus est. Sed & sponte, non vi coactus passus & crucifixus & mortuus fuit, nullum impatientiæ signum præbens.*

37. *Hæc*

37. *Hac voluntas Filii Dei sponte se offerentis ad pœnam pro genere humano commendatur Psal. 40. Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam (Chaphazti) volui, & lex tua in medio cordis mei.*

38. *Cum hac sententia non pugnat, quod calicem legitur depre-
catus, Matth. 26. v. 39. Transeat à me calix iste, id est, tollatur à me
ingens istud onus iræ Dei & horrendarum pœnarum, quod mihi imposi-
tum est. Non enim in hac oratione suam voluntatem à patris voluntate
sejungit, sed de veritate humana natura iudicium præbet.*

39. *Passus, crucifixus & mortuus est non secundum utramque
naturam, nec secundum divinitatem, quippe quæ est immutabilis & im-
passibilis, sed juxta assumptam humanitatem. Hinc in carne pro nobis
passus esse perhibetur, 1. Petr. 4. v. 1.*

40. *Passus autem fuit non tantum corpore, quod horribiliter la-
ceratum fuit, sed etiam anima, quia nos corpore & anima peccaveram-
us: longèq; gravior in illo fuit anxietas animæ, ad quam exprimendam
libratissimo verborum pœdere utitur Evangelista: Tristis (τρεῖς ἡμέρας)
mærore ingenti affecta vel obsessa est anima mea, Matth. 26. v. 38. Ce-
pit ἀδύνατον, id est, vehementissimè animo consternari, v. 37. Tanta
quinetiam fuit acerbitas cruciatuum, ut in lamentabilem illam vocem
eruperit: Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?
Matth. 27. v. 46. Quod objicitur indignam videri Filio Dei tantam
mæstitiam & angores animæ, ad id respondemus cum Nazianzeno: καὶ
διὰ τὸ τοῦ ἀνθρώπου διὰ τὸ τοῦ πατρὸς.*

41. *Ceterum non sic humanitati Christi passionem & mortem
attribuimus, ut ab ea Filius Dei immunis sit, sed ipse Filius Dei passus,
crucifixus mortuus & sepultus dicitur tam rectè & verè, quàm rectè &
verè dico Salomonem esse sapientem, etiamsi non corpore, sed mente sa-
piat. τὰ γὰρ εἰσὶν ἰδία καὶ τὸ πνεῦμα γίνεσθαι διὰ τὴν ἐνάνοιαν.*

42. *Hanc assertionem probant sequentia testimonia: Act. 3. v.
15. Petistis virum homicidam donari vobis, autorem autem
vitæ interfecistis, Act. 20. v. 28. Deus proprio sanguine acqui-
sivit*

fixit Ecclesiam. 1. Cor. 2. v. 8. Si cognovissent, nunquam Domi-
num gloriae crucifixissent.

43. Ubi vehementer probamus sententiam Lutheri, qui in li-
bro de Ecclesia & Conciliis: Si in una, inquit, lance appendantur
peccata nostra, & ira Dei peccatis nostris debita, in altera
verò ponatur tantum humanæ naturæ mors, tum altera lanx
deprimit nos ad infimum infernum.

44. Detestandus est igitur error Nestorii, qui negavit ipsum
filium Dei in societatem passionis & mortis venisse: Hinc impium il-
lius emblemata: Noli gloriari Judæe; non enim Deum sed ho-
minem crucifixisti. Rationis quidem judicio cui Nestorius ni-
miùm indulgit, stulta videtur sententia, quæ Deum passum & mor-
tuum esse statuit, nos tamen in fidei simplicitate acquiescere debemus,
cum sciamus τὸ ἀπλὴν τῆς πίστεως ἰσχυρώτερον εἶναι τῶν λογικῶν ἀποδείξεων.

45. Quando verò passus & mortuus est Filius Dei? Respondet
auctor Epistolæ ad Hebræos: Christus semel in consummatione
seculorum ad destructionem peccati per hostiam suam ap-
paruit, Heb. 9. v. 26.

46. Passus & mortuus est præside Pilato, impleto nimirum eo
tempore de quo Moses, Gen. 49. v. 10. & Dan. 9. c. v. 26. vaticinati sunt.

47. Quod rursus refellit Judæorum cæcitatem.

48. Ubi verò crucifixus & mortuus est? Non in ipsa urbe
Hierusalem, sed extra portas ejus in loco Calvaria, Hebr. 13. v. 12. ut ubi
prius erat area damnatorum, ibi vexillum salutis erigeretur.

49. At enim verò quia non existimandum est quòd Christus
frustrà se tam profundè humiliarit, & tam ignominiosam passionem &
mortem sustinuerit, principalis hujus loci questio est, quare tantoperè in
se omnis passionis & cruciatus acerbitatem se vire passus sit? Extra con-
troversiam est quòd non propter sua scelera incendium iræ divinæ susti-
nuerit: Fuit enim sanctus, innocens, impollutus & segregatus
à peccatoribus, Hebr. 7. v. 27. & in ore ejus non inventus fuit
dolus, Esa. 53. v. 9. 1. Pet. 2. v. 22.

B

50. Sicut



50. Sicut autem propter nos homines sustinuit (ἐπέμεινε) nati-
vitatem ex virgine; ita quoque propter nos & nostram salutem ad mor-
tem probrosissimam in cruce se dimisit.

51. Augustana Confessio fructum admiranda hujus exinaniti-
onis Filii Dei sic exponit: Filius Dei verè passus, crucifixus, mortuus
& sepultus est, ut reconciliaret nobis patrem, & hostia esset non tantum
pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

52. Quae sententia nititur immoto fundamento Scripturae Pro-
pheticae & Apostolicae. Verè languores nostros tulit, & dolores
nostros ipse portavit. Vulneratus est propter iniquitates no-
stras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis no-
strae super eum, & vibicibus ejus sanati sumus, Esa. 53. v. 4. & 5.
Eum qui non noverat peccatum, pro nobis (Deus Pater) pec-
catum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. v.
21. Sicut Moyses exaltavit, & c. Johan. 3.

53. Passus igitur est Christus ut sua passione tanquam unico sa-
crificio propitiatorio corpus & animam nostram liberaret ab aeternis in-
ferorum cruciatibus. Crucifixus, id est, maledictio & execratio in cruce
factus est Dominus gloriae, ut nos redimeret à maledictione le-
gis. Gal 3. v. 13. ut in gentes benedictio Abrahæ fieret in ipso,
v. 14. & ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem, v.
eod. Mortuus est autor vitæ ut per mortem aboleret illum qui mortis ha-
bebat imperiū, id est, Diabolum, Heb. 2. v. 15. & liberaret eos qui timorē
mortis per totam vitam obnoxii erant servituti, v. eod. Sepultus est, ut
nostra sepulchra sanctificaret, faceretq; ex illis cubilia, in quibus in spe
beata resurrectionis usq; ad tubam Archangeli corpora nostra quiescant.
Atque ideo locus in quo conduntur corpora piorum non est beth ma-
veth, domus mortis, sed beth Chajim, domus vitæ.

54. Prætereunda hic non est questio de amplitudine meriti,
passionis & mortis redemptoris nostri: Passus & mortuus est Christus
pro peccatis omnium & singulorum hominum.

I. Unus est Mediator inter Deum & homines, homo
Chri-



Christus Jesus, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus, *1. Tim. 2. vers. 5.* Jesus Christus justus est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, *1. Joh. 2. v. 2.*

2. Huc pertinet quod mercatus esse dicitur etiam seductores pessimos, attrahentes sibi celerem perditionem, *2. Pet. 2. v. 1.*

55. 3. *Reprobi damnabuntur in novissimo die, quod non crediderunt in nomen unigeniti Filii Dei, hoc est, quod beneficia passionis & mortis Christi fide non fuerunt amplexi. At si haec beneficia ipsis non essent acquisita, tum damnarentur quod nolissent credere figmento.*

56. *Non igitur probare possumus illorum opinionem, qui negant Christum esse Mediatorem universalem, & statuunt eum tantum pro electis sese oblationem & hostiam patri suo tradidisse.*

57. *Quod autem non omnes homines meriti passionis & mortis Christi participes fiunt, ejus rei culpa non debet conferri in Deum, sed in ipsos reprobos homines, qui gratiam in Evangelio oblatam contemunt, & tenebras plus amant quam lucem, Joh. 3. v. 19.*

58. *Sed nec illorum portentosam opinionem amplectimur, qui statuunt Patres ante Christum per legem & sua merita justificados esse, non propter meritum passionis & mortis promissi Salvatoris. Continet enim manifestam blasphemiam, & contumelia afficit Sacrificium quod in ara crucis pro peccatis omnium hominum oblatum est.*

59. *Passus in super & mortuus est Christus non pro aliquo tantum peccato, sed pro omni. Sanguis Jesu Christi filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Johan. 1. v. 7. Atque haec immediata causa est cur nihil damnationis sit in his qui sunt in Christo Jesu, Rom. 8. v. 1.*

60. *Blasphemiâ igitur non caret opinio Papistarum, quod Christus Servator pro originis quidem culpa satisfecerit, sed pro actualibus peccatis singulos pro se ad satisfactionem teneri.*

61. *Neque alio nomine censeri debet quod iidem fingunt reatum*

duntaxat peccatorum sacrificio Christi expiatum esse, & pœnas eorundem nobis persolvendas restare.

62. Nos impie huic opinioni, quæ vim & efficaciam meriti Christi enervat, opponimus supra allegatam Esaiæ sententiam; quæ testatur Christum vulneratum esse propter peccata nostra, attritum propter scelera nostra, correctionem pacis nostræ super illum esse, & vibicibus illius sanata esse vulnera, quæ nobis per peccatum antiquus serpens inflixit. Quæ omnia quid aliud docent nisi quod Christus subierit & sustinuerit omnem pœnam quæ ex rigore justitiæ divinæ nobis erat propter peccata persolvenda?

63. E thesi 59. etiam hoc manifestum est, errare Papistas, quando negant nos propter unicum Christi propitiatorium sacrificium gratis consequi remissionem peccatorum & salutem æternam: & è contrario asserunt, Christum sua passione & morte promeruisse primam gratiam, quæ deinde nos adjuvet, ut Deum & proximum diligamus, & legi Dei obediamus, atque hanc legis impletionem esse formalem justificationis & meritoriam vitæ æternæ causam.

64. Nihil hic affingimus adversariis, sed fideliter recitamus eam opinionem, quam omnes hodie Papistæ amplectuntur. Quamquam autem illa meritum passionis Christi à reconciliatione hominum non planè excludere videtur, tamen non minus in Filium Dei & sanguinem Novi Testamenti blasphemia est, quàm modò recensitæ opiniones.

65. Nonne enim hoc modo salus nostra inter Christi obedientiam & nostra merita distribuitur, quæ tamen illi soli in solidum accepta ferenda est, quando quidem solus offensum Patrem placavit, solus torcular calcavit? Esa. 63. v. 3. Imò nonne talis hæc est inter Christi satisfactionem & nostra opera partitio, ut illi quidem adjudicetur, quod minus est, videlicet meritum infundendarum virtutum, hæc verò mereri dicantur, quod est nobilius & excellentius, nempe æternam beatitudinem?

66. Quin eo insania progressi sunt Seraphici Doctores in Papatu, ut ne primam quidem hanc, quam vocant, gratiam Redemptori nostro

stro integram & illibatam reliquerint. Statuunt enim quod cam possit homo etiam non renatus impetrare & mereri merito congrui.

67. Quæ hæcenus de passionis, crucifixionis & mortis Dominica merito diximus, ea non sic accipi debent, quasi impletio legis, quam præstitit idem Pontifex noster, ad Redemptionis & reconciliationis nostræ coram Deo meritum non etiam pertineat.

68. Postquam enim per peccatum rei facti sumus ira Dei & æterna damnationis, non satis fuisset sustinere pœnam peccatis nostris debitam, nisi & iustitia legi Dei perfectissime satisfaciens nobis acquisita fuisset.

69. Obedientia igitur quam Servator noster legi præstitit, non minus est ἀντίλυτρον & redemptionis precium quàm passio, crux & mors.

70. Testatur hoc Paulus his verbis: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti fuimus multi: ita per obedientiam unius iusti constituentur multi. Rom. 5. v. 19. Ubi antithesis clarè ostendit obedientiam notari planè illam, quæ in legis impletione occupata sit.

71. Huc etiam pertinet sententia Apostolica: Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, Gal. 4. v. 4.

72. Prose quidem & ratione suæ personæ Christus non fuit obligatus ad legis obedientiam. Quod igitur se illi subiecit, quod legis Dominus factus est legis servus, id omne propter nostram salutem factum fuisse credendum est.

73. Mala proinde fide tractant Redemptionis nostræ negotium, qui λύτρον nostram tantum passivæ Immanuelis obedientie acceptam referunt, exclusa activa: vel duntaxat activæ, sequestratâ passivâ.

74. Coronidis loco, quia virtus passionis, crucis & mortis Christi solis illis prodest, qui eam sibi applicant, operæ precium est expendere, quo instrumento applicatio ista fieri possit.

75. Applicatio hæc fit SOLA FIDE. Illa est veluti manus nostra, qua accipimus, possidemus & retinemus Christum cum omnibus beneficiis Novi Testamenti. Hinc Apostolus: Justificamur, ait, Dei gra-

via, per redemptionem factam à Christo Jesu, quem proposuit Deus in
sineo in sanguine ejus per fidem, Rom. 3. v. 24. & 25.

76. Fides autem non est vana opinio, sed ὑπόστασις, id est, con-
stans & immota cordis fiducia, Hebr. II. v. 1. quod ipse Filius Dei pro no-
bis & nostra salute passus, crucifixus & victima factus sit, quodq; pro-
pter hoc sacrificium Deus Pater nobis peccata remittere, ac vitam & sa-
lutem aeternam donare velit.

Christo, qui propter peccata nostra passus est,
& propter justificationem nostram à mortuis
resurrexit, sit honor & gloria in o-
mnem aeternitatem,

AMEN.

F I N I S.



ad 8

la-
m-
ro-
ro-
fa-

t,
is

02 I 12A


ULB Halle 3
003 104 567



1317







B.I.G.

Farbkarte #13



THESES THEOLOGICÆ:
DE PASSIONE, CRUCIFIXIONE, MORTE ET
Sepultura Filii Dei, Domini nostri Jesu Christi:

De quibus
Favente Spiritus Sancti gratia;

PRÆSIDE

M. JOHANNES
SCHOLLIO, S. HEBRAEAE LIN-
GUÆ IN ACADEMIA MARPUR-
gensi Professore Ordinario, in publica dispu-
tatione respondebit

M. CASPARUS FINCKIUS, GISSENSIS.

In Auditorio Theologico XXI. die Maji.

Gal. 6. v. 13.

*Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem
mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*



MARPURGI CATTORUM,
Excudebat Paulus Egenolphus, Typog. Acad.

MDCCII.

Ans Hi 8



*Reverendo, Piæritate & eruditione P. M. S.
Viro, Do. M. Erhardo Messemio,
Pastori Eccle. Gebhardianæ Vrb.*

